

Supremus Moderator Fratrum S. Vincentii a Paulo huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae humiliter exponit saepe Confessarios, quo melius spirituali poenitentium utilitati consulant, preces vel pia exercitia indulgentiis ditata in sacramentali confessione imponere, existimantes uno eodemque actu datum esse poenitentibus sacramentali poenitentiae satisfacere et adnexas precibus vel piis exercitiis indulgentias lucrari. Verum quoad hujusmodi opinionem et praxim non levis sententiarum disparitas exorta est, eo quod nonnulli, innixi Decreto hujus S. S. diei 29 Maii 1841, quo negatur posse per preces jam obligatorias, v. g. per horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandum indulgentiam, contendunt omne prorsus fundamentum praedictae opinioni et praxi Confessariorum esse sublatum : e contra alii affirmant laudatum Decretum ad rem non facere ; in eo siquidem agitur de una vel altera conditione ad lucrandam indulgentiam imposita, non vero de precibus vel piis exercitiis, quae auctoritate Summi Pontificis indulgentias jam secum ferunt, et assumi possunt tanquam Sacramentalis poenitentia, nisi aliter mens concedentis declaraverit.

Ut itaque omnis ambigendi ratio de medio tollatur, sequens dubium solvendum proponit :

Utrum poenitens precem aut pium opus indulgentiis ditatum explens, possit simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari ?